CIMELIA
Rat.komp
Qu 4449
Rat.komp
Qu 4450

V
B J
C
4449-4450
CIMELIA

XI. 9.54 b, c

Pöch
Tra
POI

Poëtae polono latini. 1574

Tricesius Andreas.

Tricesii Andreae: Epigrammatum liber I. et II

Cracoviae in off. Lazari Andreae

1565.

Biblioteka Jagiellońska.

II. C. 56.

POËTAE POLON.

N. 156.

Poer. 1574.

II. c. 56.

ANDREÆ TRICESII, EQVITIS POLONI, EPIGRAMMATVM LIBER I.

Ad Spectabilem & MAGnificum Virum, IOANNEM FIRLEIVM DAM Brouicium, Palatinum Lublinensem, Regni POLoniæ Supremum MARSALCVM, & Rohatinensem Præfectum.

Joannes Ogiesski

Cracouiæ, In Officina Lazari Andreę:
M. D. LXV.

57

SPECTABILI AC MAGNIFICO VIRO IOANNI FIRLEIO.
PALATINO LVBLINENSI. &c.
ANDR. TRIC. χαίρειν.

CVm donent alij aureas catenas,
Donent pocula, nobilesq; gemmas,
Aut quos Parthenope tulit caballos.
Nos Vir magne tibi, quibus nec aurum,
Nec sunt gemmea vasa, nec caballi,
Hæc præludia, curta quę supellex
Nostrę hoc tempore prottulit Thalię,
Nugarum offerimus poëticarum.
Sed magnis etiam placere nugę
Sic quandoq; solent, ineptięq;,
Si post seria dentur ad legendum.
Vt post fercula, dum Lyæus ardet,
Cùm bellaria dantur ad fruendum.
Discedant rigidi procul Catones,
Consuetudine nos Horatiana,
Quamuis Stoica fortiter reclamet,
Siccorumq; caterua tota, quòd sit
Dulce desipere in loco, putamus.

De eodem

BIBLIOTH: UNIV: JAGELLONICAE
Cim. Qu. 4449

DE EODEM SVPREMO MARSALCO DESIGNATO.

DIcite io insignes vera virtute POLoni,
Et bona Christiadum publica quisqs amat.
FIRLEIO celsos confert AVGVSTVS honores:
Mens mea promittit iam meliora sibi.
Certa salus Patriæ ante oculos versatur, in altum
Quandoquidem tales numina dextra vehãt.

AD AMPLISSIMVM VIRVM ANDREAM DVDICIVM *ZBARDELLATVM, QVINQVEECCLESIENSEM EPISCOPVM.*

VERGilio si non puduit misisse CATullum
Carmina, quĕis lethum passeris ille gemit,
Me quoqꝫ cur pudeat tenues tibi mittere fœtus,
DVDICI, ingenij, magne Poëta, mei.
Laurigeri siquidem clarent hac laude Poëtæ
Quòd nihil in toto pectore fellis habent:
Mellis habent multum: Tu melleus es quoqꝫ totus,
Hinc etiam metuit nostra Camœna nihil,
Quo minùs hæc placido relegas Epigrãmata vultu,
Quin sperat gratũ quòd tibi munus erit.

AD ZOILVM.

DIgnus ego Elleboro quòd sim, cur Zoile clamas?
Hæc mea vulgari carmina qñ vides?

Elleboro cùm sis & tu quoq; Zoile dignus,
Qui mala nescio cur carmina nostra legis,
Et caperas frontem: nam quis te talia cogit
Sumere, quę stomacho sunt nocitura tuo?
Nostra legant æqui censores carmina: in illis
Tale aliquid quod eos fortè iuuabit erit.

AD SODALES AVLICOS.

QVanta lacessitis fuit olim Vatibus ira,
His ego non videam me licet esse parem,
Tanta mihi nunc est: facit indignatio versum,
Si natura parum fortè benigna negat.
Vt tamen ad tempus desistat lædere noster
Zoilus, à nobis hæc quoq; tela ferat.
Si perget, maiora feret, Nasonis vt olim
Ibis, & Archilochi perfidus ille socer.

IN COPRIAM.

QVòd niger es, quòd habes asininas Coprias,
Signa mali, & fatui, qs neget esse viri? (aures,
Quin etiã in nigrũ vis vertere candida? nunquid
Vsq; adeò Stygius te iuuat iste color?
Sed neq; lac nigra pice permutabitur vnquam,
Nec quod candet ebur post terebinthus erit,
Nos quoq; despera similes aliquando futuros,
Pallenti toto pectore & ore tibi,
Quos niueo tinxit clemens natura colore,
Pectora quin etiam candida ferre dedit.

Niliacos

Niliacos ſacri Vates imitantur olores,
Et quia corde albent, & quia dulce canunt.
Tu ſimilis nigris, vbi quis videt omnia, coruis.
Vt lubet ad coruos Copria abito tuos.
Nos lux, atq; dies, candensq; oblectet olympus,
Te nox, & tenebrę, et Tartara nigra iuuent.

IN EVNDEM.

HIc vt fert faciem tenebricoſam,
Mentem ſic etiam tenebricoſam:
Hinc nox ingenium premit profunda:
Hinc nox iudicium premit profunda:
Lucis filius ille, Luciusq;
Quem lucem genitrix tulit ſub almam
Clareſcente die, poteſt vocari,
Noctis filius iſte, Noctiusq;
Iurè impurus homo poteſt vocari,
Quem nox vndiq; ſic profunda, & atrę
Orci, ac terribiles premunt tenebrę.

IN EVNDEM.

PAllet Coprias vndecunq;, pallet
Toto pectore, ſicut ore toto,
Nam corpus Stygia palude tinctum
Caci terribilem refert figuram,
Ad quod tetrius eſt, magisq; ſæuum,
Nutricis furię benignitate
Nigris pectora plena ſunt venenis.
Quisnam non videt inde quid ſequatur?

Lucis filius, ad ſuę datorem
Lucis Lucigenam, vt ſolet reuerti.
Quod & Coprias vndecunqꝫ pallens,
Pallentes Erebi ſequetur vmbras.

SOPHIAE BONERAE, MAGNIFICI VIRI IOANNIS *FIRLEII, Palatini Lublinen &c. pientiſſimæ Coniugis:* EPITAPHIVM.

TErtia poſt decimam cùm iam foret edita ples,
Illa pudicicia nobilis, atqꝫ fide,
Hic SOPHIA exuuias animę FIRLEIA Coniunx
Depoſuit, cœli quam Deus arce fouet.
Siſte igitur lacrymas coniunx, vos ſiſtite nati,
Et natę, & nobis quisquis amicus erat.
Ad ſuperos qui poſt actam ſine crimine vitam
Migrat, an hic vobis iurè dolendus erit?

ALIVD.

VIdit vt vxorem FIRLEI occumbere fatis
Conuerſa ad comites ſic Dea Pallas ait.
O dolor, occubuit, poſtquàm hęc matrona, videntę
Et pudor & probitas occubuiſſe ſimul.

ALIVD.

NAta SEVERINI poſt vltima fata BONERI
Coniugis hîc magno rapta dolore iacet.
FIRLEIVS fuit hic IOANNES, ille Senator
Virtute inſignis Lachia magna tuus.

Annos

Annos octodecim conuixit vt illa Marito,
Vndecima luni luce soluta fuit
Corpore, post partum, iunctis vbi quattuor annis
Transierant æui ter duo lustra sui.
Annum, qua numeros mos est signare, sequenti
Magna tIbI In VersV LIttera nota DabIt.

1565 1564

ALIVD.

VMBRA MARITVM ALLOQVITVR.

CVr adeò ploras ô mellítissime Coniunx,
Teq; dolore graui conficis ante diem?
Alter quòd sponsus cœlum me traxit in altum,
Vt petij votis omnibus, idńe doles?
Non puto: sed nostrę te consuetudinis vsus,
Et pia sollicitat pectora fidus amor.
Altera, quę tristes animi tibi leniat æstus,
In thalamos veniat sponsa beata tuos.
Hæc potior ratio est: quidnã singultibus vmbrã
Proderit? aut lacrymis corpus inane sequi?

IN LEOPARDVM PRÆCLARVM STEMMA DOMVS FIRLEIÆ.

STẽma domus Leopardus hic ẽ prę signe vetustę
Magnanimosq; notat quód ferat illa Viros.
Sed tamen vt cicures Regum sunt vsibus aptę
Hę quoq;, venatum cùm lubet ire, ferę,
FIRLEIOS etiam sic mansuetudo benigna
Commendat magnis Regibus, & Patrię.
Munera sic obeunt cum summa publica laude,
Et belli, & pacis tempora quando vigent.

Stanislai

STANISLAI A' LASCO, PALATINI SIRADIENSIS, VIRI

MAGNANIMI, & multis præclaris uirtutibus excellentis:

EPITAPHIVM.

HAc STANISLAVS tegitur compage ſepulchri,
Altera qui LASCÆ gloria gentis erat.
Siue togam, ſeu quis belli ſpectauerit artes,
Hic certè magnos maximus inter erat.
Scilicet in tantùm ſumptis fuit acer in armis,
Poſceret id pugnę quodmodocunq; genus.
Conſilio quantùm valuit, Respublica nouit,
Aurea dum ſacrę tempora pacis erant.
Corporis vſq; adeò vires æquauerat, alti
Vt vigor ingenij, ſic nitor eloquij.
Hinc fermè tot linguarum fuit ille peritus,
Orbis hic occiduę quot regionis habet.
Luſtrauit tot Regna Noto ſubiecta, tot Euro,
Tot Zephyro, & gelidis qua nitet Vrſa polis,
Quisquis vt hæc numerare velit, nõ ille ſepulchri
Carmen, at ingentem ſcriberet hiſtoriam.
Quid multis? ſi Vergilios mea Lachia ferret,
Hic quoq; Vergilij carmine dignus erat.
Quisquis amas igitur Patrię bona publica, plures,
Dic, vtinã huic ſimiles Lachia noſtra ferat.

In Argo

IN ARGONAVIM LASCONVM, INSIGNE.

QVę tulit Argolicos proceres, & Iasona pup-
Vellere Phryxæam qui spoliauit ouem. (pis,
Hæc eadem LASCOS nostrę clarissima gentis
Lumina, propitio numine, ferre solet.
Heroas nulli vera virtute secundos
Seu veterum, seu quos sæcula nostra ferunt.
Salue ô Luciuago susceptum sydus olympo:
Salue ô magnanimę Stemma penne domus.
Nam quia pro Typhi tibi contigit ille Magister,
Cuius ad imperium terra, polusq; tremunt.
Succumbes nullis vnquam iactata procellis:
Attingent portus sed tua vela suos.

AD ILLVSTREM VIRVM ALBERTVM LASCVM, CVM *ALEXANDER PALATINVS MOLDAVIÆ, per DESPOTAM, & illum, ditione sua pulsus fuisset.*

CVm tua sic teneris te virtus extulit annis,
Nam vix esse puto ter duo lustra tibi,
Qualis eris cùm iam veniet maturior ætas?
Persimilis ne Patri, maior an ipse Patre?
Principe cum Samio tu fractos eijcis hostes,
CHRistiaci Regis nullius auctus ope.
Et requiem populis donas, sæuumq; Tyrannum,
Trans mare perpetuum pellis in exilium.

Ipſe ducis belli titulos, virtutis adeptus
Præmia, nunc Chocimi mœnia celſa tenes.
Teq; Sami Princeps, Valachorum ſceptra ſupba
Qui gerit, vt fratrem diligit vſq; ſuum.
Illud Patricio vix forſan contigit vlli,
Inclyta quos armis Lachia noſtra tulit.
Da veniam: tali vernans ſub flore iuuentę,
Huic ſimile effecit nil tuus ille Pater.

DE ILLVSTRISSIMO PRINCIPE HERACLIDA IOANNE BASILICO DESPOTA, PRINCIPE SAMI, MARCHione Pari, & Moldauiæ PA Latino.

MOnſtrorum domitor toto celebratur in orbe
Alcides, magni filius ille Iouis.
Non minus & noſter toto celebrabitur orbe
DESPOTA, ab Herculea nobile ſtirpe genus.
Fortiter immanes Valachorꝫ è gente Tyrannos,
Qui parua exegit, perdomuitq; manu.
Reſtituit miſeris fœlicia tempora pacis,
Et libertatis maxima Iura dedit.
Ipſe etiam regit hos veluti pater: aurea terris
Sæcula Moldauicis hoc redière Duce.

DE EODEM.

VT cantare ſolent Zephyrus cùm ſpirat Olo',
Quos Maro pſimiles Vatibus eſſe facit: (res
Sic vbi Moldauicis, vt mens præſagit, ab oris
Spirabit Zephyrus leniter ille meus:

Cantando

Cantando Cygnos æquabo, & carmine tollam
Magnorum laudes vsq; sub astra Ducum.

DE EODEM.

MOldauiq; Princeps IOANNES inclytus armis,
Herculis antiquq; stirps generosa domus,
Viuat, & inuictus de quolibet hoste triumphet:
Viuat in ætatem Mathusaleme tuam.
Viuat, & Empireũ tandem conscendat Olympũ:
Factorum postquàm fama perennis erit.

SEBASTIANI MYONIS,

POETÆ ET MATHEMATICI:

EPITAPHIVM.

COelorum varios motus te docte SEBASTE
Scrutantem, & nitidi sydera celsa poli,
Vranie cùm vidisset concedere fatis,
Protinus ad sedes sustulit æthereas:
Dicitur & doctas sic esse affata sorores:
Scilicet hic nobis alter Aratus erat.
Dilexit cœlum: cœli ergò dignus honore est:
Non petat infernas nobilis vmbra domos.
Officium præstemus & hoc, quò maior alumno
Gloria, & in terris sit quoq; maior honos:
Ponamus tumulum, tumuliq; in parte suprema
Scribamus, magnis, talia verba, notis.
¶ Hic cineres sacros, post vltima fata, SEBASTI,
Castalides propria composuêre manu.
Nimirum vt tali dignum testentur honore,
Castalidum constans quisquis amator erit.

IN CYMBAM GORCANORVM INSIGNE.

HÆc piſcatoris quondam ratis inclyta Petri,
Te REX omnipotens Chriſte, Deusq; tulit.
Æterni Patris cœleſtia ſacra docentem,
Et per te certum cuiq; ſalutis iter.
Nunc inſigne domus GORCANÆ eſt gentis, idemq;
Quod prius officij nobile munus habet.
Fert CHRiſtum: nã Chriſtiaca pietate coruſcans,
Vera colit ſummi ſacra, fidemq; Dei.
Nullius eſt adeò piſcatio certa carinę,
Quamq; magis Chriſti gratia magna iuuet,
Retia rumpuntur, denſo ſic agmine piſces
Innumeri, quamuis fortia lina, premunt.
Retia ſunt ingens virtutis gloria verę,
In ſua quę innumeros vndiq; iura trahit.
Sunt & opes magnę, quas ornat honoribus amplis,
Qui Lachidos noſtrę ſceptra ſuperba gerit.
Fœlix ergò domus, fœlix ô Stemma, perenni
Laude, & in æterna poſteritate vige.
Præſideatq; tibi ſemper bona gratia CHRiſti:
Sic benè cuncta cadent, hic vbi præſes erit.

IN GALLVM.

QVi prius in templis, pacta mercede, docebas
Hæreticam longo tempore GALLE fidem,
Dic mihi te medicę cur tandem addixeris arti?
An fuit infandi criminis ante parum?

Tradebas

Tradebas animas orco peruersa docendo:
Corpora nunc letho tradere nostra cupis?
Sic homicida cupis forsan perfectus haberi:
At meritam caueas Galle deinde crucem.

ALEXANDRI LIGEZAE VIRI NOBILIS & STRENNVI, *AVLICI REGII:* EPITAPHIVM.

POstquam, vi morbi iuuenili extinctus in æuo,
Finierat vitę debita fata suę,
Corpus ALEXANDRI posuêre hoc marmore frẽs,
Atq; Insigne domus hîc statuêre suę.
Quæritis ista domus quę sit? LIGEZIA? nulla
Inferior veterum nobilitate Patrum.
Hic etiam, à factis ne degeneraret auitis,
Vitę amplexus erat nobilioris iter.
Cæsaris inuictas aquilas, atq; arma secutus,
Militiam coluit, & graue Martis opus.
Quem Mars nõ domuit, domuit, traxitq; pemptũ
Inclemens campos morbus ad Elysios.
Quod mortale fuit, terra requiescit humatum:
In Patria laus est occubuisse sua.
At semper manet immortalis, & inclyta virtus:
Virtutem extingui sæcula nulla sinunt.

PETRI PRVCHNICII, *EQVITIS RVTHENI:* EPITAPHIVM.

PRuchnicię iacet hic gentis ſpes vltima Petrus,
Immatura Viri funera quisq; dolet.
Scilicet hunc tantum candore parauit amorem
Ingenuo, & placidis moribus, ille ſibi:
Quid meliùs, vitam quàm ſic vixiſſe per omnem,
De te vt nemo queri poſsit: at omnis amet:
Vt deſiderium poſt te, & pia vota relinquas,
Dent animę vt ſuperi cœlica Regna tuę.

VRSVLAE MORSTINAE, FOEMINÆ LECTISSIMÆ. CASPARIS COSVICII, *Viri nobilis ac humaniſsimi.*

EPITAPHIVM.

CONiugis inſpectans lacrymabile funus amatę,
COSVICIVS tales edidit ore ſonos.
Tene ergò, ô mea lux, primo ſub flore iuuentę
Ante diem rapuit mors inopina mihi?
At lacrymas ſine fine mihi, & lamenta reliquit,
Et vidui, heu miſero, triſtia damna thori:
Triſtia damna thori, nam toto tempore vitę
His oculis etiam plus adamata mihi es.
Et te quandoquidem rapuerunt inuida fata,
Penè oculos etiam tunc rapuêre meos.
Humanę ô fragilis vitę, atq; caduca voluptas,
Siccinè bullarum fluminis inſtar abis.
Siccinè præſentis nos fallunt omnia mundi:
Quærenda æthereis ſunt meliora polis.
Nil forſan proſunt lacrymę, & lamenta, moueri
Cùm nullis lacrymis triſtia fata queant.

Sors ani-

Sors animo forti, quantùmuis dura, ferenda est,
Hæc poterit longa lenior esse die.
Ergò vale æternũ mea lux, mea magna voluptas,
Atq; hoc in tumuli marmore carmen habe.
¶ VRSVLA COSVICII iacet hîc suauissima Con-
Spiritus astrifera gaudia in arce capit. (iunx:

DE ILLVSTRISSIMO PRINCIPE, NICOLAO RADIVILO PALATINO VILNENSI.

IVppiter, in Litauo tenebras cùm cerneret orbe,
Solem illi clarum te RADIVILE dedit:
Demat at hunc aliqs, tenebras rursum esse videbit,
Quales Cimmerię gens regionis habet.

AD INSIGNEM VIRVM, GEORGIVM PIETCOVICIVM LITVANVM, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS PALATINI VILNENSIS MEDICVM. &c.

VT si fraterno viduetur lumine Phœbe,
Cùm caput Hesperio merserit Oceano,
Tristibus horrescunt per terras cuncta tenebris,
Quantùmuis cœlo sydera multa micent.
Sic Litaui si fors sol occidat aureus orbis,
Lunaq; sit fratris lumine cassa sui,
Tristibus horreret LITuania tota tenebris,
Quantùmuis illi sydera multa micent.

Solem

Solem igitur quòd nos RADiuilum dicimus, oẽs
Contemni Litauos ne precor indè putes.
Solem illum, reliquis quià clarior omnibus, esse
Dicimus: & meritò, nam facit ille diem.
Sanguine coniunctos Lunam: quià lumen ab illo
Omnis habet: nomen cuilibet indè venit.
Sydera sunt reliqui: seu quis Mauortia curat
Prælia: seu magnum splendet ob ingenium.
Te quoq; Pæonia cùm sydus in arte GEORGI
LITuano nostrum carmen in orbe vocet,
Desine mirari, si, verò vt veriùs hoc est,
Phœbæum nomen Dux RADiuilus habet.
Per quem tot magni Regesq;, Ducesq;, tot illi
Labra Caballino qui sua fonte rigant,
Nunc primùm nôrunt quid sit Lituanica tellus.
Dij faciant vobis luceat ille diu.

PETRI
IOANNIS VLI, & CATHARINÆ
ROMERÆ FILIOLI:
EPITAPHIVM.
VMBRA PARENTES ALLOQVITVR.

PArce pijs lacrymis ô Mater, parce dolori,
Nec toties passis exululato comis.
Et tu chare Pater, quem lamentabile funus,
Non siuit melior Parca videre meum.
Dum vixi, vobis magnorum ego causa dolorum
Semper eram: nam æger corpore semp erã.

Finijt has

Finijt has tandem mors optatissima curas,
Ipse Deus iam vos ad meliora vocat.
Si qua etenim fuerant ex me solatia vobis,
Hæc semper luctus impediêre graues.
Post modò erit Soboles, melioribus edita fatis
Gaudia quę nullo rupta dolore dabit.

AD NICOLAVM REIVM, EXCELLENTEM POETAM SARMATICVM, *Die sacro* NICOLAI.

FEstiuissime Lachij Nepotum,
Quot sunt, quotq; fuêre, REIE Vates,
Et quot post alijs erunt in annis:
Adsunt en sacra festa NICOLAI,
Cuius tu geris, vt sacri lauacri
Vnda tinctus eras, celebre nomen:
Græcum at nomen id est, sonans Latinis
Vincentem populos, tibiq; fato
Sic omninò datum videmus esse,
SOCrates Agamemnonem vocatum
Fati vt asserit ordinatione,
Multas sollicitudines quòd ille
Ad Troiam tulerit decem per annos.
Sic & Protesilaon esse dictum,
Ad Troiam perijt quòd ille primus,
Græci Grammatici docent, ferumq;
Sic Achillea, Marte quòd cruento
Magnos intulit Ilio dolores.
Nomen & tibi ritè NICOLAI

A' fato esse datum fatemur omnes,
Quòd multos hominum celebritate
Vincas ingenij, & lepore blando
Nostri carminis: Vt quòd ille Dantes,
Aut Petrarcha Italis fuit disertus,
Hoc tu sis etiam tuis POLonis:
At sic, vt similis tui, nec ante
Vnquam vllus fuerit, nec esse forsan
Dum stabit Regio POLona possit.
Sic & Mæonide parem Pelasgi:
Sic & Virgilio parem Latini
Vatem non habuere tot per annos.
Ergo viue diu, ô decus, meumq;
Magnum delitium, & diu fruare
His amplis animi, ac nimis benigne
Sortis muneribus, tuumq; sacrum
Magna in Lachide semper esto nomen:
Est vt Mæonide sacrum Pelasgis:
Est vt Virgilij sacrum Latinis,
Nullo tempore laude desitura
Diuini ingenij: vt pater voceris
Vatum Sarmatię, pater leporum
Sic re, vt nomine, NICOLAVS ipsa.

AD PETRVM POSNANIENSEM. PHYSICVM REGIVM.

Virum doctissimum & humanissimum.

QVisnã Grãmaticos non oderit, EXCIPE quo-
Personat enecto semper in ore fanie- (rum
EXCIPE

EXCIPE quod nostrã pdit mi PETRE crumenã:
Quandoq dem tenuis sum quoq Grãmaticus.
Quàm potior ratio est medicorz, et forma loqndi,
Cùm RECIPE illorum semper in ore sonet.
Ad medicos igitur potiús, turbęq beatę
Se vertat nitidas nostra crumena domos.
Grammaticos studio deuitet: aranea quorum
In tenui semper net sua fila domo.

PETRI BORATINI, CASTELLANI BELSENSIS, ET *PRÆFECTI SAMBORIENSIS, Viri ingenio eloquentia, & animi fortitudine celeberrimi:*

EPITAPHIVM.

SAMBorię iacet hîc præses dignissimus arcis,
Et CASTellanus Martia BELSA tuus.
Ingenio præstans PETRVS BORATINVS, & armis,
Magnanimo soboles persimilisq; Patri.
At pietas animam splendenti inuexit Olympo:
Illa est nobilibus Regia digna viris.

AD INSIGNEM NATALIVM SPLENDORE, ET OMNIGENA *VIRTVTE PATRICIVM ET SENATOREM POLONVM, STANISLAVM OSTROROGVM, CASTELLANVM MEDIRICENSEM.*

IMmeritos opibus quę nunc, & honoribus am
Auget, & ex imo tollit in alta gradu: (plis

 Cernere

Cernere si tandem posito velamine posset,
Fortuna ingenij maxima dona tui:
Non alium summis opibus magis illa bearet:
Non alius nostro maior in orbe foret.
Nimirum raris animi virtutibus esset,
Illius insigni munere, rarus honor:
Rarus honor generi Lachi de stirpe vetusto,
Quod tulit egregios Marte, togaq; Viros.
Ipsaq; Maiestas heroica corporis illam
Flecteret, & nitido qui fluit ore lepos.
Sed quisnam sperare vetat? quòd & illa uidebit
Quandoq;? & meritis præmia digna feret?
Sic tua te virtus ad summos tollet honores,
Et Patriæ faciet Vir generose Patrem.
Sic tua, virtutem sequitur quę passibus æquis,
Stabit in æternos gloria vera dies.

DE SOPHIA TECINIA, NOBILISSIMA EIVSDEM CONIVGE.

QVid nimium veteres mirabimur heroinas?
Cùm similes illis sæcula nostra ferant?
OSTROROGE tui consors dignissima lecti,
Heroina sui temporis esse potest.
Casta verecundo quondam LVCretia vultu
Qualis erat, tali scilicet illa micat.
Statura Andromache est procera: at amore ma-
Penelope: vel si castior vlla fuit. (riti
Sulpitiam grauitate, & sanctis moribus æquat:
Has illi dotes inuidet ipsa Venus.

Quod si

Quod si te multę prolis fæcunda parentem
Fecerit, huic similem sæcula nulla ferent.

IN INSIGNE NICOLAI OLESNICII, HEROIS FORTISSIMI, *quod* DEMBNO *uocatur.*

QUę VERI prima est in nomine, littera duplex,
Quid sibi vult, albę est iũcta quòd illa crucis?
Nimirum æternũ quòd VINCIT vt omnia verũ.
Sic illi semper crux comes esse solet.
Asserit at summo VERI VICTORIA cœlo
Quemlibet, & dulcem sic facit esse crucem.
Te quoq; OLESNICI quòd crux comitet ouantẽ,
Hoc studium VERI relligioq; facit.
At sic VICTOR eris, & te tua præmia cœlo
Expectant: sed & hîc fama superstes erit.
Fama probatorum nunquam moritura Virorũ,
Quos studium VERI, quos pia facta iuuant.

IN INSIGNE REMIGII CHELMII, VIRI NOBILISSIMI, *quod* OSTOIA *uocatur.*

LVna duplex pleno quę nondũ splenduit orbe,
Quod cingat fuluam parte ab vtraq; crucẽ,
Quid nam significat? verę pietatis honores,
Crux sacra quam veterum relligione notat.
Euehit ad nitidi pietas hæc sydera cœli
Christiadas, superis persimilesq; facit.

Clariús & Luna, Phœbo quoq; clariús ipſo
Splendebunt iuſti: vt pagina ſacra docet.
Te quoq; pro pietate tua chariſsime CHELMI,
Hæc eadē, haud dubita, gloria ſumma manet.
Inſignemq; tuam quę fert hæc Stemmata gentem:
Nobilis illa armis: nobilis illa toga.

IOANNIS IRICOVII, PRÆFECTI MIELNICEN: EQVITIS *LITVANI GENEROSISSIMI:* CARMEN EPITAPHION.

HIc ſitus eſt IRICOVIVS poſt fata IOANNES,
Quem clarum integritas, relligioq; facit.
Quantùmuis ſublime genus, nec ſegnis ad arma,
Non minús hūc multa, dextera, laude vehat.
Sed quantùm ætherijs diſtant terreſtria, tantùm
Omnibus his pietas plus ſacra laudís habet.
Erexit Coniunx hoc illi caſta ſepulcrum,
Iundila HEDVIGIS progenerata domo.
Pentametrūq; adicit quod mortis continet annū:
Ætherls aſtrlfera ſeDe Marlte VaLe.
Tu frueris illic vita ſine fine beata,
Aſt ego ſum in luctu te viduata graui.
Tergemina feci te quondam prole parentem,
Poſt obitum eſt proles ſeptima nata tuum,
Dij faciant longos vt fœlix creſcat in annos,
Siue ea fœminea eſt, maſcula ſiue tibi.
Præterit hunc etiam tumulum quicunq; viator,
Si pius eſt, pura mente precetur idem.

Ad Inui-

AD INVICTISSIMVM PRINCIPEM SIGISMVNDVM *AVGVSTVM POLONIÆ REGEM.*

REgibus hostilem, sine cæde, & sanguine, fastũ,
Ardua res, magnis, frangere posse fuit,
Vt tibi nunc supum REX contigit inclyte nutu.
Deposuit fastus gens inimica suos.
Imperio parere tuo LIVonica tellus
Maluit, & pacis fœdera iusta sequi:
Quàm bello inuictas acies, populumq; ferocem
Exitium ferro continuare suum.
Hinc meritę Domino canimus præconia laudis,
Gratantes Regno tam bona fata tuo.
Atq; vtinam tali te semper ab hoste triumpho
Christiaco, hæc eadem fata redire velint.

IN LIBELLOS DE ARTE MILITARI, HERACLIDIS IACOBI *BASILICI DESPOTÆ SAMI, &c. in expeditione LIVonica scriptos.*

QVę ratio belli sit nostra ætate gerendi,
Ordoq; militię CARole diue tuę,
Quicquid in Europa, quod duri ad munia Martis
Pertinet, occidui circulus orbis habet,
Hic SAMius Princeps breuibus dat singula char-
HERculis antiqua nobile stirpe genus. (tis,
Quẽ Mahometigenũm ,ppria ditione Tyrannus
Expulsum, paruus cùm puer esset adhuc.

Hæc profu-

Hæc profugum nostras venientem fecit in oras
Discere, & hac nomen quærere ab arte sibi.
Hac olim Patriã, Christo duce & auspice Christo,
O' vtinam sæuo liberet ille iugo.

IN QVENDAM MAGNIFICVM.

CVi nimiũ fortuna fauet, nimium'q; secũda est,
Hic spurius vulgi dicitur esse ioco.
Huic nimiũ fortuna fauet, nimium'q; secunda est,
Sed spurius meritò dicitur absq; ioco.

AD FAVSTINVM, DE MORA ET MORTE.

ET Moror, & Morior, sunt dira vocabula rerũ,
Forsitan & dicta est à Moriendo Mora.
Nam Moritur, quicunq; Mora cruciat, & hæret
Inter spem dubius iugiter atq; metum.
Carceris inferni pœna esse grauissima fertur,
Non minor inferni carcere pœna Mora est.
Solue precor miseram Faustine hoc carcere vitã:
Nã mortis species hæc Mora longa mihi est.

AD EVNDEM.

NOn amo Præteritũ, nec amo Faustine Futurũ,
Et cane CRAS odi peius & angue tuum.
Tempus ego Præsens, præsentia diligo: si quis
Expectare iubet, ille perire iubet.
Sola expectatur post hanc mihi vita perennis,
Et bona cœlorum sola futura placent.

Cœtera

Cætera qui ſperare iubet, ſperata tot annos,
Heu cruciat mentem duriter ille meam.
Captatam'q; lupo prædam ſubducit hianti,
Enecto longa iam ſatis antè fame.
Non igitur Faciam, ſed dic FAVSTINE, TRICESI
En Facio, res eſt iam tua ſalua, Cape.
Tempore cuncta valent, nã quę data tempore nõ,
Hæc ingrata nimis gratia tarda facit. (ſunt,

STANISLAI LIGEZÆ, CASTELLANI ZARNOVIENSIS.

Generis nobilitate, uirtute, & morum comitate Præſtantis Viri:

EPITAPHIVM.

HAc STANISLAVS ſub mole LIGEZA quieſcit,
Inſignis Patrię nobilitate domus.
Quę tot, ſi priſcis etiam repetamus ab annis,
Prottulit egregios qualibet arte Viros.
Hic etiam generis memor, & virtutis auitę,
Hæc geſsit fortem quę decuêre Virum.
Vnde illum meritò REX inſigniuit honore,
Et CASTellani munera magna dedit.
Quod ſi ambiuiſſet, plura his potuiſſet habere,
Sed placido ambitio pectore nulla fuit.
More ſuę gentis, vana ambitione relicta,
Ducere tranquillos maluit ille dies.
Qua ſibi multorum ratione parauit amorem:
Nam placidum quis non pectus amare velit?
Sic vbi conceſsit fatis defletus vbiq; eſt:
Sed maior fratrum pectora luctus habet.

Hoc illi qui mœrentes posuêre sepulchrum,
Post funebralis iusta suprema rogi.
Insuper & tumulo inscribunt: sua gloria viuax
DVret VtæternVM, fratraManDeVaLe.
Pentameter qui præcessit, quo nascitur annum,
Et quo rursus obit, candide Lector habet.

AD FAVSTVM.

QVę sunt lecta tibi puerili Fauste sub æuo,
Omnia te miror tam meminisse diu.
Sic etiam, quæcunq; tibi narrata fuêre
Tã benè quòd memori singula mente tenes.
Ipse autem nobis cùm quid promittis, eodem
Te demiramur non meminisse modò.
Fallor, an in culpa est tua non syncera voluntas?
Quę te cùm possis non meminisse facit.

AD HIERONYMVM QVILECIVM, VIRVM OPTIMVM & AMICVM PERFamiliarem.

VIna mihi nuper rubro pergrata colore,
Puniceisq; solet qualis inesse rosis,
Turbida facta suum quòd mutauêre colorem,
Fucus enim, & verus non fuit ille color.
Rursum ingrata meo nimis illa fuêre palato,
Nam capit & color hũc nõ minus, atq; sapor.
Sic etiam postquàm fucatum tempus amicum
Prodidit, & fictus disperit ille color,
Quantùm olim pergratus erat mellite Quileci,
Ingratus tantùm tunc solet esse mihi.

At quià

At quià noſter amor, non eſt fucatus, & illi
Permanet, innatus qui fuit, vſq; color,
Inſigni æterno cum laude vigebit in æuo:
Talis erat Pylade: talis Oreſta tuus.

IN EFFIGIEM ILLVSTRIS COMITIS, IOANNIS TECINII, *PALATINI LVBLINENSIS, cùm adhuc puer eſſet.*

ISta repræſentat faciem pictura IOANNIS
TECINII, vitę poſt duo luſtra ſuę.
Qui ſit clarus auo quamuis, clarusq; parente,
Virtute ingenita clarior eſſe poteſt.
Tu ſaltem vitę fœlicia fata futurę
Largire auſpicijs maxime CHRiſte bonis.
Hoc Patrię, atq; tuę domus ô TECINIA famę,
TRICESIVS Vates lingua, animoq; fauet.
Te ſiquidem nullam vera virtute priorem
Nunc habet, & priſca, Lachia noſtra, fide:
Debeat vt meritò voto exoptare frequenti
Quisq; bonus, Patrię quem pia cura mouet,
Floreat, & longo vires acquirat ab æuo,
Gloria TECinię non moritura domus.

DE INSIGNI DOMVS VAPOVIÆ.

OLim truncus eram: ſed Crux ſupaddita fecit,
Sim ſacer vt Chriſti munere truncus ego.
Talia VAPOVIAM decuêre Inſignia gentem,
Nam Crux, & trunci robur, vtrumq; notant:

Corporis,& celſę præſtantes robore mentis,
Chriſtiadûmq; ſacra relligione Viros.
Illam propter opes, ipſamq; profundere vitam,
Nobilibus certè eſt gloria prima Viris.
Gloria VAPouios mouet hæc, vt fortia ſemper
Pro Patria,& Chriſti nomine, bella gerant.
Bella gerant vt cruda manu, ſeq; eſſe POLonos
Indomitum doceant Marte potente genus.
Bella gerant etiam calamo, linguaq; potenti:
Ingenijs floret non minùs illa domus.
Perlege Bernardi modò magna volumina, dices,
Inſignis Patrię lux erat iſte ſuę.
STAniſlae tuas non vno carmine laudes
Complecti fas eſt, pluribus eſſet opus.
Subſequitur fratrem germanum paſsibus æquis,
ANDreas generis tertia fama ſui.
Chriſte faue, hoc ingens vt trunco effloreat arbos,
Vertice quę tangat ſydera celſa ſuo.

STANISLAI VCHANII, NOBILISSIMI & DOCTISSIMI VIRI EPITAPHIVM.

VChanij cineres STAniſlai hæc continet vrna:
Sed non ingenium tam breuis vrna capit:
Cuius vt immenſum volat ardua fama per orbē,
Sic nullo poſthac eſt moritura die.
Omnia cùm ſenſim longo abſumantur ab æuo,
Ingenij neſcit gloria vera mori.

In Aulam

IN AVLAM DAMBROVICIAM, NOBILISSIMI REGNI *POLONIÆ PATRICII, NICOLAI FIRLEII, PETRI PALATINI RVSSIÆ FILII.*

QVam Pater antè obitũ ſtructurã incœpat au-
Ille PALatinus Ruſsia Magna tuus. (lę,
Perficit hanc natus, cui nomen rebus ab ipſis
Victoris populi lingua Pelasga dedit.
Perfectam tibi CHRiſte dicat, tuearis vt omni
Tempore, ne rapidis ignibus illa ruat.
Neúe quid hoſtilis violentia poſsit in illam:
Sola vetuſtatis damna cauere nequit.

ALIVD.

HAnc Dambrouiciam Nicolaus perficit aulam
FIRLeius: magno haud degener ille Patri.
Eſſe locum ratus ornandũ, prima vndè Propago
Prodierat gentis Suſpicienda ſuę.
Atria res parua eſt ornaſſe: ornauit at ille
Inſigni Patriam plus pietate Domum.
Iſta vigent æuum namq; ornamenta per omne,
Cœtera cùm longo tempore quæq; ruant.

ALIVD.

CAndide, noſtra ſubis ęcunq; hæc atria, Salue:
Liuide, diſpliceant cùm tibi cuncta, Vale.

IN INSIGNE DOMVS
TARNOVIÆ, quod LELIVA uocatur.

HÆc quicunq; vides cœleſtia lumina, Phœben,
TARNOVIÆ ſtella cum radiante, domus.
Cœleſtes ea ſigna viros, natumq; patremq;
Ne dubita, totam deniq; ferre domum.
Dant Patrię tenebris hæc claram ſydera lucem,
Orbe nec in toto clariùs vlla micant.
Nec niſi tùm poterunt extingui, quando peribit
Hoc cœlũ, & quicquid maximus orbis habet.

AD SODALES AVLICOS
Brumæ tempore in LITVANIA.

QVæritis, hoc à me fugiãt cur tempore Muſę?
In promptu cauſa eſt, frigora ſæua timent.
Nec repetent gelidum niſi amictę pellibus axem:
Corporibus teneris frigora quippè nocent,
Frigora, ſerò quibus caneſcunt Theſſala Tempe,
Turba illas ſedes hæc fugitiua petit.
Quòd ſi maturè Litauus reuocauerit illas
Iuppiter, & miſsis pellibus indè trahet,
Tutę vbi iam fuerint à frigore, dona parentis
Per totum brumę tempus in aſtra ferent.

IN ENSEM SVVM.

ENſis vt hic vitam tueatur, proterat hoſtes,
Vim vi naturę pellere lege licet.

In Copri-

IN COPRIAM.

IMpure pergin' COPRIA ſuperbire
Corpus leonis pelle tectus? at longe
Quod ſis iners aſellus indicant aures.

IN TVRPICVM.

TVrpice FORTVNAM cur audes dicere cœcã?
Hæc ſiquidem melior cœca videnti tibi eſt.
Cœca fuit cùm ferret opes, ſedemq; priorem
Inter honoratos cùm daret illa tibi.
Cœca tui ſic cauſa boni eſt: ſi quando videbit
Turpice mendicos protinus inter eris.

AD LECTOREM.

LIuor ſumma petit, Poëta Naſo
Si verum docuit, nihil furores
Horrent carmina noſtra Zoilorum,
Quę penultimus, inter huius æui
Viles, excipiet locus, libellos.

τέλος.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ.



0

Biblioteka Jagiellońska
stdr0036844